

Biblioteka Jagiellońska
stdr0012060



I. N. J.

DISSERTATIO GRADUALIS

De

PRIMIS INITIIS BIÖRNEBURGI,

SATACUNDIÆ CIVITATIS IN FENNINGIA

Quam,

Suffragante Ampliss. Senatu Philos. in Regia ad Auram Academia

SUB MODERAMINE

Viri Maxime Reverendi atque Amplissimi

Dn. Mag. JOHAN. HAARTMAN,

Log. & Metaph. Prof. Reg. & Ord.

Ad Publicum Examen defert

S:æ R:æ M:tis ALUMNUS

PETRUS GAB. FORTELIUS

BIÖRNEBURGENSIS.

D. V. Die I. Julii An. MDCCXXXII.

loco & horis consvetis.

ABOÆ, Excud. Joh. Kiämpe, Reg. Acad. Typ.


L. B.

*E*X *quo primum, hujus Auctor dissertationis, jam in cœ*
lis beatus, Dn. Mag. PETRUS FORTELIUS, *hoc curæ fi-*
bi impositum esse credidit, ut obscuras soli sui natalis, Biör-
neburgi *scilicet, Origines, si posset, illustraret, & in lu*
cem proferret, ad constitutum I diem Mensis Qvintilis An-
ni M.DCC.XXXII. tempore exclusus, propter instantem sibi
etiam promotionis Magisterialis festivitatem, non plures
quam quatuor primas hinc pagellas typis tradere atque dis-
quisitioni publicæ submittere potuit. Quocirca cum potissi-
ma hujus rei superessent documenta, & materiæ ipsius illu-
strandæ flagraret omnino desiderio, admovit qvidem illi dein-
de manum: sed instanti operi mandavit S. Reg. Majestas
munus ad arcem Aboensem Pastorale; cujus partibus serio
studens implendis, inopino, eoque diuturno afficitur morbo,
ut lecto plerumque detentus, nec officio suo, nedum huic opel-
læ ex voto vacare postea valuerit, usqve dum ad suos non
ita pridem secessit. Ne tamen monumenta, qvæ ante bea-
tum suum abitum, vel suo, vel meo etiam consilio conquisi-
vit, atqve in ordinem congessit, plane perirent, vel a tineis
& blattis consumerentur, non potui non, propriis licet im-
pensis, hæc typis vulganda committere; meo judicio digna,
non nostra tantum, sed nostræ etiam posteritatis, si quæ fu-
tura est, memoria. Vale. Dab. Aboæ d. 1 sextilis An.
M.DCCXXXV.

JOH. HAARTMAN.
Præses.

Emendanda.

p. 3. lin. 7. pro quotantis, lege quotannis. p. 5. l. 5. pro inpri-
mum, lege primum. p. 10. l. 14 pro S. Olai Regis Sveciæ, lege
S. Olai Regis Norvegiæ. p. 14. pro loculum, lege loculamentum.



A. Ω.



IRe in laudes & commendationem Patriæ non modo pium & religiosum, verum & qvam maxime gratum est. Nihil enim post summum Numen, vitæ Auctorem, omniumque rerum Moderatorem, carius esse potest Patria, quæ & vitam nobis & ad vitam necessaria dedit. Hanc rem æqua, uti par erat, lance, justaqve trutina quidam etiam Poëtarum excellentissimus perpendens:

Nescio, inquit, *qva natale Solum dulcedine cunctos*
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

Qvibus vivis qvasi coloribus depingit amorem illum innatum, qvo qvisqve mortalium erga Patriam suam dulcissimam ducitur, quem cunctis etiam animantibus natura indidit. Huic sententiæ album qvoqve calculum addit Rom: Eloqventiæ Parens, Cicero dicendo: *Non nobis solum nati sumus, sed partem ortus nostri vindicat sibi patria, partem amici, partem Parentes.* Hæc aliaqve mecum pia mente pervolvens, non potui mihi temperare, qvin pro ratione conditionis atqve virium, aliqvid de urbe Biörneborg, qvæ me genuit, tulitqve, in medium proferrem. Cum autem de ejus antiqvitate & fundatione hactenus

scripserit nemo: Ignoscas qvæso tanto facilius, B: L; qvod non potuerim per omnia, inprimis in tanta temporis angustia, voto tuo satisfacere, qvanto magis antiqvitatum studiosi mecum dolent, nulla fere hujus urbis antiqva monumenta amplius esse residua: verum omnia partim turbulentis hisce temporibus, partim etiam in incendiis periisse. Dum itaqve doctam tuam sitim restingvere neqveo, mihi satis est, si aliis viam ad ulteriora qværenda pandere potuero, qvibus non tam curta supellex, tristisqve omnium rerum penuria. Interea qva par est observantia contendo, digneris B: Lector, ausus hosce innocuos æqvi boniqve consulere, animumqve magis amore Patriæ inflammatum, attendere, qvam sermonis genus impolitum. Quod si feceris, est de qva re mihi maxime, in sinu gratulari possum.

§ I.

NOn unum est, qvod natura commendat loci, in qvo jam situm est Biörneburgum. Ad partem *Borealem* amnis est, cujus liqvor est perlucidus, & riparum vestitus viridissimus, qviqve qvovis genere piscium abundat, & levi aqvarum tractu urbem præterfluens, in mare Bothnicum evadit, ad portum Räfsöö, tribus circiter milliaribus ab urbe; non procul a termino, qvi Ostrobothniam a Finlandia stricte sic dicta distingvit. A parte *orientali* sine scopulis, sine saxis omnibus majoris molis, immensa sunt camporum spatia; & ad exiguam illic conspicuā Chersonesū rudera antiqvæ domus regiæ, a gloriosissimo qvondam Duce Fennonum, totiusqve deinde imperii Sveo-Gothici Rege Joh: III. exstructæ; nec non lacus, prasinorum, aliorumqve piscium; alitum qvoqve, horumqve ovorum captura memorabilis, qvem in mare decursurum amnis intercipit; qviqve a Regia Area Herrgårdswik appellatus, sepibusqve antea circum circa munitus, agros urbis, a prædio Koiwisto disterminat. Ad partem *australem* arva prostant & spatiosissima, & lætissima, ex qvibus probe excultis, Cives magnam frumenti vim qvotannis colligunt. His undiqvaqve adjacent silvæ densissimæ, qvæ parandis lignis, aliisqve usibus inserviunt incolis; volucrumq; alunt agmina, cantu, aliisqve modis oblectantium qvosvis præsētes. Ad partem *occidentalem* occurrit ampla terræ planities atqve amœna, aliqvibus etiam distincta rivis. Qvaqva versum alias processerimus aliqvanto longius, vel pascua erunt opima nobis obvia, inprimis ad Haga & Säfstrand, vel prata, non florum, herbarum atqve graminum varietate modo læta, sed lupulo etiam, atqve baccis insigniter exornata; imprimis versus orientem, atqve boream, ab altera amnis parte. Ad orientem, insularia sunt prata, eaqve vel Regia, jam certa pecunia, annuatim pendenda, civibus elocata; vel Civitatis Pastoribus & Præpositis dicata, qvibusvis minorum arborum generibus interstincta: Qvæ ad boream jacent hujus generis prata, Hälmar dicta, propius ad urbem sunt, nullis exornata arboribus, exceptis nonnullis fruticibus hic & illic conspicuis; qvare etiam ab urbe conspicere possunt Cives, qvicqvid in illis operæ agitur; hacqve oculos suos pascere, & animum exsaturare suum, non raro cum est otium. singulare vero illud est, qvod notamus de his inprimis pratis, qvæ ad boream jacent, qvod adcrescere soleant annuatim; Amnis enim, *ubi mollius solum reperit, stagnat, Insulasqve molitur;* ut verba Curtii ex lib VIII. cap. IX v. 7. mea jam faciam. Advertimus ex hisce, Oppidum hoc esse

situm

situm in loco tam salubri & amæno, ut omnium animos, primo statim aspectu, inprimis æstivo tempore afficere, immo explere qveat. Qvare etiam a nonnullis, qvibus illic esse contigit, terram hanc Fennonum Cananæam vocari & appellari audivimus; hucqve inprimis pertinere videntur hæc verba Paulini Gothi ex Hist: Arctoæ p. m. 90. *Finlandiam nonnulli ab amœnitate seu pulchritudine ita dictam suspicantur, qvasi dixeris amœnam & pulchram terram, neqve id ita incommode. Qvandoqvidem in comperto est, totam illam Regionem frugibus, pecoribus, jumentis, piscationibus, venationibus, aliisqve vita sustentanda & fovenda necessariis adminiculis, Deo ita providente, esse ditissimam.* De nostro autem Biörneburgo, speciatim agit Cl: Hubnerus, in Geographia sua; cujus hæc sunt verba: *Bierneburg, latine Bierneburgum*, ist hernach der beste ort. Est qvippe hic ipse locus ad mercaturam etiam exercendam mari & terra percommodus, cum qvæ ipsi sibi non suppetunt merces, advehantur aliunde; vel ex insulis remotioribus, vel contiguis adjacentibus provinciis, qvæ omnium Regionum Fenningiæ, sunt omnium rerum feracissimæ, qvæ vel ad vitæ usum sunt necessariæ, vel alio transferri cum aliqvo fœnore possunt; qvare nec sine caussa invenimus migrationes urbis olim factas.

§. II.

OCcurrit igitur jam nobis antiqva hujus urbis sedes, ejusqve migrationis caussa inqvirenda. Verum enimvero ingenue fatendum est, multas & infinitas, nobis publicis documentis destitutis, difficultates hoc in momento obvenire, ut plane nesciamus, qvomodo illis superatis historicam veritatem, qvæ nullas admittit opini-

onum

onum diversitates, in apricum producere qveamus. Toto tamen animo & studio in id incumbemus ut e variis sententiarum divortiis ansam minimum, si rem acu tangere non semper liceat, veritatem eruendi aliis subministremus. Et ut ex incertis hisce aliqva tamen certa faciamus; in primum indagandum venit, utrum in pago Ylistarå, qvem 13 jam incolunt villici; qviqve veterum fabulis est inclitus, prima hujus urbis fuerit sedes? deinde utrum navibus huc etiam vehi potuerint Cives? tandemqve de urbis hujus prætensa migratione ad Ulfsby. Qvod ad primum, nullas hujus rei hic amplius in Ylistarå invenimus reliqvias; nec nobis alia suppetunt documenta, præterqvam qvod hunc pagum Ylistarå, fennico idiomate audierimus ab ætatis priscæ hominibus vocatum Telján Caupungi; & saxum hodienum monstretur abhinc tria fere milliaria distans, qvod vocatur Saxankiwi, eam ob caussam, ut fama fert, qvod ex navibus, qvæ a locis transmarinis huc appulerint, merces suas illic exposuerint; qvodqve in vicino prædio *Cumoënsi*, antiqvæ sedis Regiæ monstrentur rudera. Qvibus forte, vel pluribus etiam aliis rationibus motus, etiam D:ns Wexionius in sua Epitome descript. Sveciæ &c. lib. VII. c. 73. hujus Ylistarå injiciens mentionem, Vocat eam: *qvondam fenningiæ urbem antiqvam ac desolatam; postea* Wanhakylä *dictam, tunc* Ulfsby, *non procul Biörneburgo. Qvo loci jam prata & arbores virent, ubi olim navigiis transitus patuit; & arcis fortissimæ rudera spectantur.* An vero ex hisce tuto liceat colligere, civitatem hic qvandam fuisse, vel huic pago Civitatis jura fuisse concessa, non possum certo definire. Ad partem affirmativam nos trahunt, qvod vocabulum Caupungi, qvod æqvivalet Svecorum Köping, significet o-

omnino

mnino locum, ubi qvandam rerum exercemus mercaturam; qvod veterum traditiones de Saxo Saxankiwi, & qvæ huc collimant momenta, sint ad hæc nostra usqve tempora perpetuæ; qvod sedis Regiæ ad hanc urbem proximæ, adhuc supersint rudera; qvodqve Celeb. Wexionius rotunde urbem vocet Fenningiæ antiqvam atqve desolatam Ylistarå. In partem negativam propendent, qvod rudera, privilegia & jura hujus civitatis desiderentur; qvod qvædam traditionum circumstantiæ varient apud suos auctores; qvod sedes Regia non necessario concludat adfuisse huic Civitatem; Qvodqve Celebratiss. memoriæ D:us Wexionius confundere videatur Ylistarå, cum wanhakylå atqve Ulfsby; cum tamen Ylistarå distet a Wanhakylå, sive Ulfsby (nam hæc unum atqve idem esse, ex seqventibus patebit:) tribus milliaribus; & posito, qvod opinamur, Ylistarå fuisse etiam Civitatem, non tamen inde seqvitur, qvoqvam unqvam tempore qvod urbs hæc Ylistarå fuerit maritima, vel qvod mari huc patuerit iter ut vulgus credit, per flumen Cumoënse; illi etenim sententiæ repugnare videtur loci natura; nam in dicto hoc flumine cataractæ, Svetice Fårsar, sunt perplurimæ, iter huc navale reddentes impervium; navigiis enim majoribus ultra villam Ulfsbyensem, Rustila dictam, progredi non potuerunt; ubi primus lapidum cumulus excipit, & notum illud Saxankiwi, de qvo modo. Nec illud hos juvare arbitror, qvod fluminis hujus aqvam, tum temporis in tantum excrevisse statuant, ut nullæ cataractæ fuerint conspicuæ: nam eo ipso & hanc villam, & adjacentes pa-rœcias mari submersas fuisse statuant necesse est. Sed qvoniam mentionem fecimus saxi, qvo exteri, Germanorum nomine

nomine qvi veniebant, appulere navibus, insigniti nomine Saxankiwi, inqviremus jam qva via ad locum illum navigarint. Nonnulli magnis ausibus cōtendunt per paludem qvamdam ab incolis lingva sua, Lattomeri dictam, ad terminum huncce fuisse adnavigatum. Qvam navigiorum viam nonnulli volunt corrobaratam a cumulis illis lapideis, qvi in via, qvæ ad Luwia patet conspiciuntur, qvos vulgus fennicus Hidenkiukat, Sveci Jättekulor, vocāt; aliam plane qvam communiter fit, de illis sententiam foventes: Nempe hos cumulos, qvi ex minoribus lapidibus constructi fuere, jam autem diruti, nullam exhibentes domicilii speciem, nihil aliud fuisse, qvam in usum navigantium, Svetice kumlingar, erectos. Ut exprimamus ad hæc nostram mentem, non negamus Lattomeri qvondam mare extitisse, unde aqva exsiccata ingens natum nobis est pratum, unum fere milliare ab urbe Biörneburgensi versus meridiem distans; Comprobat enim id carina navis hisce præterlapsis adhuc annis ibi, qvemadmodum a viris fide dignissimis his auribus audivi, inventa. Sed qvod cumuli illi lapidei in Luwia, fuerint signa navigantibus illi sententiæ nostrum qualemcunque calculum adjicere non possumus, cum alibi locorum in continenti ejusmodi monumenta inveniantur, quæ ad hoc idem punctum nullo modo redigi neqveunt: Quiquid sit, licet ad Ylistarå per nominatam paludem navibus patuisse viam dici non possit; cum mare non potuerit extendere se ultra confinia pagi Rustila ad Saxankiwi; ubi objectæ rupes & montes videntur inhibuisse longius iter: ad hunc tamen locum fieri potuit. Qua via a sinu Bothnico non facile qvid certi determinare possumus. Quidam existimant, hunc si-

num quondam maris, qui Lattomeri audit major, ad mare Bothnicum decurriſſe per amnem LillRaumoënſem, prope Biörneburgum, Pånåswik & Lill Lattomeri: verum hoc aperte veritati repugnare oſtendunt anguſtia loci, ſilva denſiſſima, & terra firma, quæ inter majorem & minorem Lattomeri eſt. Alii vero qui rem acu ſe tetigiſſe putant, contendunt hunc exitum a pago ruſtico Karluotå, per Pånåswik & inde verſus auſtralem partem ad Torſnäsby, fuiſſe, ubi antea nominati illi cumuli lapidei jam extant: Sed hæc etiam via mihi ſuſpecta videtur: potuere etenim eo ipſo, quum ad fretum Karluotoënſe veniſſent non procul a Råfsöö, via recta ſine aliquo anfractu per flumen Cumoenſe tranſire, nullis anguſtiis incluſum. Alii dicunt mare hocce majus Lattomeri a parte Luwia in ſalum ſe devolviſſe; ubi licet magnæ quoque difficultates navigantibus fuerint obviæ: via tamen fuit illis breviſſima, quæ linea recta, unoque ventus afflatu ad metam usque propoſitam ferebat: hæc ſententia maxime videtur probabilis. De migratione hujus urbis ad Ulfsby, nec extant ulla amplius documenta, quam quæ per famam accepimus, & quod per naturam loci videatur concedendum, quod hæc etiam urbs propter majores Mercatorum uſus ſit ad Ulfsby tranſlata. Sed dicat quis: Cur eadem ſtatim opera non migrarint, ad evitandam majorem moleſtiam, propius ad mare: vel ad locum ubi jam eſt Urbs; nam ſolent Civitates erigi a primis ſtatim fundatoribus, ut illorum eſt prudentia, ad maris vicinia, & ubi mercaturæ exercendæ locus videtur commodiſſimus, huic reſpondeo: cur ſingulæ hoc noſtro adhuc ævo Civitates non ſint ad mare jam exſtructæ: cur hæc Aboa a ſuo primo loco Koroiß, vel ipſum

Biör-

Biörneburgum, ab Ulfsby, ad loca, qvæ jam exiſtimamus, commodiora, mariq; proximiora non fuerint tranſlata? Certe non prævidere omnia, qvæ ſeqvioribus temporibus, vel mari vel terra facta ſunt obſtacula; & nullus eſt locus, qvi vel placuit, vel placet ſemper omnibus; ut reliqva taceam. Ex benevola illa voluntate qva fertur Dominus Secretarius CARL HAGELBERG ad conſervanda Antiqvorum monumenta, hoc nuperius nobiſcum communicavit, de Caſtro in Kumo demoliendo:

Albertus Dei gratia Sveorum Gothorumqve Rex, honorabilibus viris Tyderico Weregges, Nicolao Kåtilſon *& Erneſto de Dotzorn, in Domino dilectionem & favorem. Conqveſti ſunt coram nobis in preſentia Domini patris noſtri cariſſimi & Conſiliariorum noſtrorum preſencium exhibitores nuncii ex parte tocius communitatis in Satagundia ad nos miſſi, qvod fortalicium ſeu caſtrum infra ipſorum terminos inſtauratum ipſis dampnum non modicum generat & gravamen, propter qvod ut aſſerunt ipſius terre Satagundie inhabitatores non valent onera juri noſtro regio debita ulterius more ſolito ferre ſeu ſupportare, niſi ad hoc remedium adhibeatur maturius opportunum; unde vos & veſtrum qvemlibet serioſe & affectanter reqvirimus & rogamus qvatenus hujusmodi fortalicium de loco in qvo nunc inſtauratum eſt, qvam cicius removentes & funditus annullantes ipſum alibi in bonis noſtris regalibus ſeu corone ubi diſcrecionibus veſtris magis valens viſum fuerit, ita qvod Reipublice non inferat moleſtias, prejudicia ſeu dampna, de novo reſtauretis. In qvo fortalicio ſeu caſtro acto armigeros vel citra pro ipſius & terre defenſione ſuſtentare noſtro nomine poteritis & tenere. Datum apud portum Våra Anno Do-*

B

mini

mini MCCCLXVII. feria secunda proxima post festum beatorum septem fratrum, sub secreto nostro.

Ex codice vetusto chartaceo Ecclesiæ Aboensis exscripsit
Carl Hagelberg.

§. III.

JAm ad ipsum Ulfzby. Ejus vocis derivationem, qvidam petendam volunt ab Ulf, qvod *lupum*, & By, qvod antiqvis *civitatem* denotabat, jam *villam* sive *pagum* significat: sed partis prioris nullam possunt dare rationem idoneam. Neqve enim hunc locum lupis legimus plus infestatum, qvam alium aliqvem; nec heic capturam horum fuisse majorem unqvam, qvam alibi terrarum observavimus. Existimaverim ergo potius civitatem hanc dictam Ulfzby ab ipso nomine *Sancti Olai*, Regis qvondam Sveciæ, qvi diademate & sceptro in templo hujus urbis cernitur depictus conspicue, & qvondam habitus est Ecclesiæ *Svecanæ Patronus*; Conf. Reverendissimi Archi Ep. D. H. Speg. Hist. Eccl. sv. partem 2. p 116. Cui vocis Etymologiæ ansam etiam suppeditare videntur litteræ Indulgentiales *Petri*, Archi-Episcopi Lundensis, ut modo patebit; diserte enim Ecclesia Ulfzby illic vocatur: *S. Olai Ecclesia*. Ob euphoniam vero crediderim Olofzby dictum: Olfzby; sive Ulfzby. Hinc fennice etiamnum audit, non Sudenkylä, vel Suden-Caupungi, ut: Neostadium s. Nystad, Uusi-Caupungi &c, sed Olewin, vel Olwilan, vel potius Ulwilan Caupungi. By vero qvod priscis dicatur etiam civitas, plurima docent exempla; ut: Bykyrkia pro Stadzkyrkia; hinc Wisby, Wisnerby, Elfcarby, Gammel Carlby, Ny Carlby, &c. Alias qvod hæc civitas, vel illa ipsa villa, ubi civitas qvondam jacuit, etiamnum vocetur Svetice Gammalby, Fennice Wanhakylä non ulli nostrum est obscurum. Antiqvitus illam esse dictam Lykis litteræ probant indulgentiales

ales, *Ragvaldi* Episcopi Aboënsis, de fundatione templi in Lykis seu Ulfzby, datæ An: 1311. Nec non Benedicti Episcopi Aboënsis, de templo lapideo in Lykis exstruendo scriptæ An: 1332. qvarum Autographa cum periisse dolemus, gratulamur tamen nobis, qvod annorum designationem & unum harum apographum habeamus bona fide exscriptum, propria Pastoris tum temporis, deinde etiam Præpositi Biörneburgensium & Ulfzbyensium integerrimi, Domini Mag. *Gabrielis Gregorii Arctopolitani* manu, insertum literis ad Præpositum qvondam Hvittensium Eruditissimum Dominum *Andream Keckonium*, qvas hujus gener Sacellanus nunc ibidem vigilantissimus Dominus *Watman* nobiscum benevole communicavit. Qvæ omissis illis qvæ nostrum scopum non adeo feriunt, ad harum partem posteriorem ita verbum de verbo sonant:

Plurimum Reverende Domine Præposite, fautor reverenter colende.

Hwad Hans *Excel. General Gouverneuren*, och *Venerandum Consistorium* Presterskapet pålagt hafwa, wil jag och för min *person* ödmiukeligast efterkomma, 1. &c. - - - 2 &c. - - - 3. *Antiqviteter* finnes här några, om the eliest af något wärde äro; *Literæ Indulgentiales Ragvaldi Episcopi Aboensis An*: 1311. *de fundatione templi in* Lykis *seu* Ulfzby: *Benedicti Episc. Ab. An.* 1332 *de templo lapideo in* Lykis *exstruendo. Hemmingii Episc. Ab. An.* 1347. *de Cœmiterii in* Ulfzby *consecratione: Hemmingii Episc. Aboen. Anno* 1350. *qvisqvis Ecclesiam* Ulfzby *devote visitaverit* 40. *dierum indulgentias conseqvetur: Johannis Episc. Ab. ejusdem argumenti. Johannis Ep. N. Anno* 1429. *data Hafniæ proxima qvinta feria p. f. b. Bartholomæi, de templo* Ulfzby, *casuali incendio deleto, readificando cum Indulgentiis* 40 *dierum. Brudederi Ep. Libaviensis ejusdem argumenti, data Calmariæ An.* 1429. *Petri ArchiEpiscopi Lundensis, Sveciæ primatis & Apostolicæ sedis lega-*

legati An. 1429. *Magni Episc. Aboen.* 1540 (crediderim 1440. vel potius facta transpositione 1450. Est namqve hic Magnus cognomine Tawast, evectus ad dignitatem Episcopalem A:o 1412. mortuus vero 1452. die 9. Maji. Conf. Mess. Scond. Illustr. aliosqve.) *Johannis Episc. An.* 1509.

Qvia pagina vacat, apographum, de indulgentiis a Petro Archiepiscopo Lundensi, datis, adjiciam, ut de ceteris idem feratur judicium. Universis Christi fidelibus, præsentes literas visuris seu audituris, Petrus Dei gratia Archiepiscopus Lundensis, Sveciæ Primas & apostolicæ sedis legatus, salutem in Domino sempiternam. Pium & gratum obseqvium Deo impendere credimus qvoties omnes Christi fideles ad pietatis opera excitamus. Cupientes igitur ut Ecclesia Parochialis Ulfsby *seu Sancti Olai in* Ulfsby *Aboensis Diœcesis, qvæ nuper casuali incendio, proh dolor, totaliter est destructa, a Christi fidelibus jugiter veneretur & reædificetur. Omnibus vere pœnitentibus & confessis, qvi dictam Ecclesiam causa devotionis, peregrinationis seu orationis visitaverint; aut qvoties missas vel divina officia ibidem audierint, seu cœmiterium ejusdem pro animabus fidelium inibi reqviescentium exorando circuiverint; Et qvi corpus Domini cum vel oleum sacrum cum infirmis portatum & reportatum secuti fuerint; Aut qvi sepulturæ mortuorum ibidem interfuerint; & qvi ad fabricam ejusdem Ecclesiæ manus porrexerint adjutrices, vel qvi ornamenta vel alia clenodia seu legata ad usum ejusdem Ecclesiæ donaverint, & qvi ad serotinam pulsationem campanæ, more curiæ Romanæ flexis genibus terna vice Angelicam salutationem dixerint; vel qvi dedicationem seu patrocinium vel alia festa præcipua inibi visitaverint, aut pro nostro & Ecclesiarum nostrarum, præsentiumqve literarum impetratoris statu salubri Deum pie exoraverint: Qvoties & qvicunqve premissa vel præmissorum aliqvid devote impleverit, toties 40 dierum indulgentias de injunctis eis pœnitentiis, qvantum a Deo possumus misericorditer in Domino relaxamus, dummodo Diœcesianus ad hoc suum adhibuerit consensum. Datum Lund A:o Dni MCDXXIX. crastino assumtionis beatæ Virginis nostro sub sigillo. Hæ & his similes antiqvitates in* Ulfsby *reperiuntur, qvæ si alicujus sunt valoris bona fide exscribentur, qvare Pl. Rev. T. D:tem reverenter oro, ut Ven. Consist. de his certiorem facere velit. Hisce pl. R. T. D: cum thori socia, liberis & tota domo DEO O. M. animitus commendo. P. R. T. D:is* officiosissimus *Gabriel Arctopolitanus* P. Biörneb. & Ulfsby. Arctopoli 26. Martii Anni 1667. Qvibus Dominus *Kexlerius* hanc addidit notam: den 1 Apr. blef detta mig insändicat. den 2 Aprilis skref jag swar här om til Hans Högwördighet Biskopen och sände til Åbo. Unde ansam accepimus inqvirendi, an inter acta Consistorii Ecclesiastici Aboensis horum monumentorum haberentur reliqviæ; sed tales nuspiam reperire potuimus. Ne mirere igitur, Lector Benevole si jam designare neqveamus, qvo anno vel Rege hæc urbs sit condita. Urbem heic loci qvondam extitisse, indicant rudera, qvæ etjamnum illic conspiciuntur, & oppidulum aliqvod in Ulfsby exstitisse certo certius ostendunt: At possumus etiam illud probare testimonio Dni *Joh. Messenii* Celeberrimi Svecorum antiqvarii; qvi in suæ Scond Illustratæ tom X. p. 16. hæc habet A:o MCCCLVII. *Ericus Rex, Dominium Finlandiæ Benedicto* (Algotho sc. nobili, ministro Regis Magni Smeek, conf, Loc. Hist. (v. p. m. 105.) *inde profligato, adeptus VII. Septembris, Abogiæ approbat omnia, qvæ Magnus pater concessisset privilegia* Ulfsby*censibus, Musarensibus, Pedernranis & Nerpensibus, Benedictiqve abrogat onera, illis imposita.* Imo urbem heic fuisse, hincqve Biörneburgum esse translatam patere qvod; cuiqve existimo, ex hisce Johannis III. Ducis Finl. litteris: Wij *Johan* med Guds nåde, Hertig til Finland, giöre witterligit, at efter det wi hafwe samtykt och godt ansedt; at en fast kiöpstad wid siösidan i Sataaun-

Dn.

den, måtte urbyad och wid macht blifwa, och wi wid Ulfsby til at befestiga ingen lägenhet finna kunna, Så hafwe wi afsedt en annan plats wid *Biörneborg*, och der på kan wäl en fast kiöpstad upbygd warda; Fördenskul hafwe undt, och efterlåtit, som wi och nu med detta wårt öpne Bref unne och efterlåte allom dem iust hafwa dijt at flytia och der wid förberörde Biörneborg byggia och boo en frij köpmans handel och wandel efter Swériges beskrefne Stadslag, ock lijka som alle andre kiöpmän i alle andre kiöpstäder sökia deras näring och burins; des lijkes unne och efterlåte wij hwarjom och enom, som straxt nu dijt flytia ifrån Ulfsby eller hwadan de hälst nu eller framdeles kemma kunna för samma deras flytting frihet *a dato literarum*, Tijo Åhr för allan tunga och alle uthskylder som dem utgiöra borde, så at the uti almåtto emellertijd frit wara skola, med mindre Swériges Rijke blifwer anfächtadt med krig eller andra oroligheter; hwarföre biude Wij wåre Befalnings män Fougdar och alle andre, som för wår skul wele och skole giöra och låta, at de förberörde Biörneborgs borgare som wid Biörneborg byggia och boo wele här emot intet förfång eller hinder giöra eller låta; utan heller i alla måtto fordra och hielpa dem til det bästa, derutinnan skier, det oß är behageligit. *Datum* Ulfsbygård den 8 *Martii An.* 1558. Qvo autem anno vel Rege hæc villa Ulfsbyensis sit civitate donata, non facile ut dixi qvis definierit. Perantiqvam hanc fuisse urbem, Fenningiæ forte primam, ipsæ originationes Vocum Gammalby, Fennice wanhakylä satis superqve produnt. Si ex fundamentis templi s. Arborei s. lapidei jactis in Lijkis s. Ulfsby colligere qvidqvam licet, ex superioribus clarum esse opinor ante seculum XIII. civitatem heic esse conditam. Loculum qvod adhuc hodie, in templo Ulfsbyensi lapideo magnifice exstructo, reservatur, ibiqve conspicitur, & ab omnibus conspici potest, ad se-

cu-

culum XI vel XII videtur hujus initia referre, ante paulo qvam *Ericus Sanctus* Rex Sveciæ, vel Archiepiscopus Upsaliensium *Henricus S.* dicuntur communi alias consensu Religionem Christianam in has fenningiæ oras introduxisse. Loculum hanc habet inscriptionem: Denne ìsken är giord af det sölfwer, som är funnit uti de Högwälborne Herrarnas Sälig Herr Finkarnas graf, hwilka äro begrafne Åhr 1139 och med Barons Högwälb. Herr Carl Horns omkostnad efter des förfäder å nyjo förfärdigat, Åhr 1684. Suspectam hanc ipsam inscriptionem pluribus esse posse qvia vidimus, in exstantiorem hujus rei memoriam testes adqvisivimus fide dignissimos; Dn. *S. Lindheim* Regii Parlamenti Aboënsis Assessorem Nobilissimum, & Dn. Pet. Ståhlfot, Civitatis Biörneburgensis Consulem spectatissimum. Horum de hoc monumento est testimonium: At ofwanstående mening med hel tydelige latinska bokstäfwer således finnes ristad, uppå en i Ulfsby Moderkyrckia befindtelig fyrkantig Oblat ask, warder här med intygat, af Koiwisto Lacugård den 22 Sept. 1733. S. Lindheim. Pet. Ståhlfoot.

Unde etiam confirmamur aliud in Ulfsby fuisse templum antiqvius, qvam vel arboreum illud erat, cujus fit mentio in Indulgentiis *Ragvaldi* secundi An. 13[illegible]1. datis, vel lapideum cujus memoria injecta est in literis Indulgentialibus *Benedicti* Aboensium Episcopi An. 1332 scriptis. Illud forte cujus rudera adhuc prostant prope Gammalbygård, seu flaminiam Ulfsbyensem, in loco, qvi ab incolis, sua lingva Cappelinmäki, h, e, collis Sacelli vocatur; Ubi & ossa mortuorum deprehensa scimus; Vel qvod alii dicunt in Swensby aut Soinila extitisse, vel in *Anola*holm, ad prædium *Anola*, familiæ *Kurkorum*, parvo distans spatio a Saxankiwi, ubi etiam indicia hujus Rei conspiciuntur. Templum autem Ulfsbyense hodiernum non parum jam commen-

mendat Sepulchrum in choro lapideum, galea Generosi Dn. *Axelii* Kurck exornatum; cui hæc inscripta leguntur verba: *Iacet sub hoc cippo, tumulatus Nobilis & Generosus Dn. Axelius Kurck de Anola & Totkjerf, qvi in Domino placide obdormivit XXX Maji An. Christi M.DC.XXX.ætatis suæ* LXXV Ut cetera templi hujus ornammenta jam prætereamus, ne modum excedere videatur hoc opusculum, his exercitiis destinatum.

§. IV.

HIsce observatis devolvimur jam ad ipsum *Biörneburgum* nostrum amplius considerandum; ubi ratio appellationis s. denominationis omnium primo occurrit examinanda. Qvidam hujus vocis natales petunt, a qvodam Rege Svecorum, cui nomen *Biörn* vel Biörne, contendentes hunc prima hujus urbis posuisse fundamenta, eiqve dedisse nomen: Verum Sveticæ ditionis, tum temporis non dum erat Finlandia: sine fundamento itaqve hoc asseritur. Alii ab alio aliqvo nobili Viro, nomine *Biörn*, *Biörneburgum*, q. *Biörnonis* s. *aulam*, *s. arcem*, tempore Regis *Caroli Canuti* s. octavi, qvo jam emporium illic exstitetit, huicqve oppido sua dederit initia, dictum putant; provocantes ad literas Gloriosissimæ memoriæ tum Principis Finlandiæ, postea Regis Sveciæ, Johannis III pag. 13. citatas, & inprimis ad hæc verba: Så hafwe wi asfedt en annan platz wid Biörneborg-- & rursus: Uom dem lust hafwa dit at flytia, och der wid förberörde Biörneborg byggia och boo; Et tandem: hwarföre biude wi.... at the förberörde Biörneborgz Borgare, som wid Biörneborg byggia och boo wele intet förfång göra: Unde elicere cupiunt ante fundatam Urbem, locum aliqvem illic exstitisse cui nomen Biörneborg; Cui argumēto pondus addere videtur assertio Senatoris qvondam Curiæ Biörneburgensis Dn. Petri Mildh, qvi

qvi in judicio territoriali A:o 1679 die 14. 15. 16 Junii a Dn. NICOL. LIETZEN, Judice tum temporis hujus territorii, interrogatus, qvam antiquum esset *prædium Regium* qvod ad urbem illic jacet, dictum Biörneborgs Kungsgård, respondit: antiqvius illud esse, qvam ipsam urbem. Acta hujus judicii nobiscum benigne communicavit antea memoratus Regii Judicii Assessor Dn. S. LINDHEIM, literarū qvarumvis Cultor & Patronus insignis. Verba ipsa ad hanc rem ita illic sonant: Sedan frågades huru gammal Kungsgården är? der til Rådmannen och sade den wara äldre än staden, och af ålder worden kallad Biörneborgs Kungsgård, efter hwilken och staden namn bekommit hafwer. Verum enimvero hæc pro hoc asserto confirmando nobis non sufficiunt. Nam 1. In litteris Regiis nulla prædii Regii fit mentio. 2. si concesserimus antea locum aliqvem illic exstitisse, appellatum *Biörneborg*, eadem tamen residua nobis est qvæstio: unde sc. dictus *Biörneborg?* 3. meretur notari, qvod ipsæ litteræ Regiæ non in Prædio Biörneburgensi, sed Ulfsbyensi sint scriptæ. Datum Ulfsbygård den 8 Martii 1558. Accedt 4. qvod hoc prædium alias venerit nomine *Nes*, qvod ex fragmento Historiæ hujus Principis JOH. III. patet, edito a Celeb. Dno CHRIST. NETTELBLADT in suo Schwedische Bibliothec part 4. p. 204. quodque (5.) in vetustis litteris supplicatoriis ad S. Regiam majestatem missis, d prehenderit Vir integerrimus, Consul qvondam Biörneburgensium laudatissimæ memoriæ, Dn. GABR. KECKONIUS positum, hoc prædium Biörneburgense Regium, 50 annis recentius exstructum, qvam ipsam Civitatem. Non contemnendum est manuscriptum hujus Consulis de hac ipsa urbe, qvod est nobis ad manus; ubi §. 3. hæc habet: Huru gammal Biörneborgs Kungsgård är, finnes ei heller wist besked, emedan gambla handlingar genom wådeld som Staden ofta öfwergåt afordnde äro, doch

stär

står uti en för 30 och några åhr sedan hos Hans Kongl. Maj:t inlagde Supplication, at Konungsgården war 50 Åhr ynare än staden; hwilket och faller troligt efter som ofwanbemälte Stadsens första privilegier äro utgifne och daterade på Ulfsby gård, som nu kallas Gammelgård, och då warit Kungsgård, och sedan är förordnat til Ulfsby Sochns Prästegård; kunnandes man om det förra bäst finna underrättelse ibland Åbo Slåts Cancelliets handlingar. Sed hæc acta sub jugo Muscovitico perisse dolemus. Alii Biörneburgum ἐπώνυμον traxisse affirmant a nomine BIRGERI JARL, cujus in memoriam JOH. III. hoc voluerit extare monumentum, cum bis in terris nonnihil temporis commoraturus magna & honesta qvævis patraverit facinora, Auctorqve fuerit cõmuniter habitus Ciuitatis Ulfsbyensis. Ita *Biörneburgum* diceretur qvasi *Birgersborg*: sed contorta nobis videtur hæc vocis derivatio, nec in Regiis litteris vola vel vestigium hujus argumenti reperitur; ut præteream qvæ de origine Civitatis Ulfsbyensis p. 12. adduximus, huic positioni contraria. Qvi *Biörneburgum* ratione denominationis deducere volunt a voce Svetica Biörn, & Gothica *AA*, seu ut hodie effertur åå, ut ita audiret *Biörnå* qvemadmodum *Ulhmå*, *Pirå*, *Lulå*, *Tornå*, *Ulå*, *Raumå*, *Euraå*, *Kiulå*, *Cumå*; addita terminatione sive voce borg in nominibus civitatum usitatissima; ut in *Helsingborg*, *Götheborg*, *Wiborg*, *Cajanaborg*, &c. nobis accedere videntur propius ad ipsam rem. Sive enim cum vulgo credas oppidum hocce, nomine *Biörneborg*, insignitum a fovea qvadam Ursina, qvæ in colle eodem reperta sit, ubi jam & templum & Campanisterium & Curia, magnaqve pars reliqva Civitatis exstat: dicuntur enim Cives Ulfsbyenses in succidenda & exstirpanda silva e colli isto, incidisse in speluncam ursi, unde loco hoc dederint nomen; sive a villa Båhrnäs, cujus agros huic Urbi adjecit primum Joh.

rem

III. in perpetuam possessionem, vi vocis a se invicem non dissentiunt. Båhr enim Germanorum, & Svecorum Biörn ursum, Näs V. istmum significant. Qvam posteriorem sententiam præprimis arrisisse Dn. *Gabr. Keckonio*, Consuli qvondam ejus Civitatis inclito, video ex hac ejus Relatione Mſ. ad Regium Antiqvitatis Collegium, cujus antea meminimus: Hwarföre Staden är kallad Biörneborg synes oförgripel. (der på doch intet document finnes) fått sit namn, af Båhrnäs by, på hwilkens ägor Staden är funderat; ändoch går gammal saga, at en Biörn skal uti forna tider haft sit näste uti backan der Rådstugu byggningen sedermera stått, (Dn. Præses Avum suum Centenarium sibi puero dicere meminisse hanc locum dicit ubi campanisterium tum erat exstructum) och at Staden fördenskul blifwit kallad Biörneborg. Unde si ceperimus conjecturandi ansam, qvod Båhr *ursus*, dederit primum huic villæ nomen; Villa Båhrnäs civitati *Biörneborg*, non videtur fidei absonum. Biörneburgum Græce Arctopolis etiamnum dicitur, ab ἄρκτος ursus & πόλις civitas; unde factum existimamus, qvod adhuc qvoqve ursi gerat insigne. Qvi Båhrnäs contendunt dictum a Germanorum Beere, vel Svecorum Bär bacca, non mereri putamus fidem, cum in illo ipso istmo ubi hæc villa dicitur exstitisse, nec viderimus, nec audiverimus baccas crevisse, etiamsi illic locorum ubivis alias, magna harum fuerit sitqve qvotannis ubertas.

NB. Beere in übereintziger Zahl; in eintziger Zahl heist es auch die beere, alle zeit mit dem zwiefachen ee, ist die frucht an dem weinstocke, und sonsten so viel als: bacca; Deut 32: 32. Bähr mänliches geschlechtes der Bähr, mit dem ä und h zum unterscheide des vorigen ist besser, als mit einer schlechten e, Thren: 3. 10. hat seinen ursprung sonderzweifel vom gebähren, daher es mit einen h geschrieben wird. Joh. Christ. Gueintz die deutsche Rechtschreibung p. m. 36.

§. V.

Jura civitatis, qvæ antiqvitus erant Ulfsbyensibus collata, ut supra notavimus, a magno primum Duce Finlandiæ Joh. III. Anno 1558 in Biörneburgenses sunt translata, qvod ex literis p. 13. citatis clarum esse potest cuivis atqve perspicuum. Hæc deinde firmarunt Reges Sveciæ seqvioribus temporibus, *Ericus XIV.* die 10 Dec. 1564. *Joh. III.* ad Regale solium paternum evectus die 24 Martii 1576. *Sigismundus* die 24 Martii *1594*. *Carolus IX.* die 1 Aug 1604. *idem* pluribus die 30 Junii 1607. *Gustavus Adolphus* die 25 Oct. 1617. & die 14 Aprilis 1625. Ut de generalibus urbium privilegiis ad hanc nostram ætatem subseqventium Regum munificentia confirmatis nil jam dicamus, qvæ omnia & singula in Regni Archivo scimus adhuc esse reservata. Apographa vero specialium Privilegiorum qvorum supra meminimus, habentur inter Acta Cancellariæ hujus provinciæ; qvorum nobis fecit copiam, pro sua in literis promovendis benevolentia D. *Samuel Forsteen*, Secretarius noster Provincialis sollertissimus. Non patitur ratio instituti, ut omnia typis jam excudenda curemus, qvæ ad institutum nostrum qvam proxime accedunt, observabimus tantum. Scilicet villam Båhrnäs non modo prima dedisse omnino initia huic civitati: sed agros ejus etiam, aliaqve qvædam adjacentia hujus civium comodis esse oblata. Verba in privilegiis Regis Joh. III. Holmiæ die 24. Martii 1576. datis, & a Rege Carolo IX. Holmiæ etiam d. 30. Junii 16.7. confirmatis, hæc leguntur. Til thet siette. Måge Biörneborgs stads inbyggiare hafwa och bruka til stadzens almännelig mulbete och utrymme, den del af Båhrnäs ågor, som äro liggiandes hardt wid staden, och tilförene icke äro lagde under Koiwisto Ladugård, theslikes Råfsöön, hwetenskär som tilförene hafwer legat under Ulfsby, sammaledes den femte del uti Ulasaurö, som under förbemälte båhrnäs lydt, och tilförene warit hafwer, item så myc-

ket af lattomeri som ligger ifrån Koiwistos gärdzgård och twert öfwer moßan i fult söder ifrån Staden, hwilka ågor the måge bruka til Ängs under Staden. Rex Sigismundus hæc in datis suis privilegiis d. 24. Martii 1594. explicat: Til thet sempte måge Biörneborgs Stads inbyggiare hafwa och bruka til almennelig Stadsens mulbete och inrymme Bärnäsby åker, som är til tälföres land, hwilken ligger öde, efter Engiarne derifrån äro tagne til Koiswisto Ladugård, efter som them, samme åker tilförende af Högbemälte wår k. Fader hafwer warit unde och efterlåtne. Theslikes Råfsöön samt Birestär och Brsö som för hafwa legat under Ulfsby; så och then femte del uti Ulasauro &c. ut supra. Dicunt villam Båhrnäsby qvendam excultam a tribus incolis s. villicis, fundumqve ipsum constitisse ex tribus portionibus virilibus, Svetice Mantahl; Ager vero ipse est amplus satis, adhuc etiam vocatur Båhrnäsåker, cujus aliqva pars adsignata est Consuli, aliqva Senatoribus, aliqva ipsis Civibus, viginti obbarum annuo onere, ex cujusvis tonnæ facta sementi connumeratis etiam decimis. Qvod tributi genus appellant åkerskat, q. agrorum censum. Huc pertinent hæece Keckonii: hafwandes denne Staden nutit Båhrnäs bys ågor til mulbete om 3 hemmar, 3 mantal och 12 öresskat; hwarpå staden fundérat är, och då äre lag, emedan des ängiar warit lagde under Koiwisto Ladugård. Item Råfsöö och Hwetenskär holmar, med der til lydande klipper som tilförene under Ulfsby legat. sammaledes en femte dehl uti Ulasöhr, hwilken under Båhrnäsby lydt, med norra sidan af Lattomeri ånå. Råfsöö Videtur nomen accepisse a Svetico räf *vulpes* & öö *insula*, cum Vulpeculæ æstivo tempore illic q. habitare soleant, qvoscunqve minorum animalium greges infestantes, qvando inter alia

ipsi pascuntur virides armenta per herbas;

Ut

ut hoc Virgilii huc jam applicem. Complectitur sub se has seqventes insulas alias minores: Terwaluoto, leppäkari & Selkäkari, ad qvas omnes sunt portus, non tales, qvales ipse sibi qvis forte casu ferente exoptaret. Wettenskär Fennice Tahkoluoto, sub se comprehendit; Saltonalus, Köylynncari, Iloinen, Guloinen, Pakari, Borgmestare klippan, Stikukari, Wapakari, Cappeli, seu Cappelskär, ubi sacellum fuisse traditur, habetqve portum. Ad Biörkeskär, qvæ Sigismundo Regi sine dubio dicr B'restär & Birsöö jacent: Storcatawa, Lilcatawa, leppäluoto s. Ahlholm, Callio, Tihlawa, &c. Qvæ omnes insulæ triplici nomine inprimis sunt memoria dignæ; *primum* qvod licet urbis Arctopolitanæ sint ditionis, civiumqve usibus alias inserviant, non tamen est illis licitum amplius, secundum illud vulgare: den som äger land, han äger strand, ad littora earum haleuticam excercere piscaturam sine impensis, vulgo *Arrende*; ut ut hoc in illas jus prætenderint, ut patet ex hujus urbis postulatis Comitialibus Anno 1664 den 1 Sept §. 3. & qvæ deinde præsente Dynasta Dn. *Erico* von der *Linden* Anno 1665 den 6 Martii in Curia Biörneburgensi leguntur acta, tandemqve dicuntur transacta. *Deinde* illud est memorabile, qvod ad has insulas sæpius incolæ hujus urbis infelices instituerint navigationes; deniqve 3. qvod muscovitarum classis ingenti præda onusta An. 1714 rediens ex oris Bothnicis Uhmo & Wasa, cum maximis suis spoliis non modo sit toto æqvore disjecta, sed tota fere aqvis mersa. Pauci namqve ex multis millibus redierunt classiariis. Ita hac vice ipse Deus animum illorum gloriosum repressit, viqve ventorum horrenda bellum contra illos gessit.

Plura quæ constituit Auctor, de fatis, statuque præsenti hujus civitatis memoriæ mandare desiderantur. Commendamus illa posterorum alicui enodanda, qui hujus materiei dilatandæ trahitur voluptate. Nunc hisce;

S. D. G.

